

ceteris, quas consuluiimus, & in Praefatione Hispanica recensentur, accurate notamus in ima pagina: *addita* vero aut *omissa* in exemplari nostro, adhibitis tantum prioribus litteris A & O indicamus, ne voces illae tribus quoque verbis repetitae fastidium patiant lectoribus. A notis, quas meditabamur, consulto abstinuimus, ut ne opus iam satis grande in immensum cresceret. VALE, lector humanissime.

IO.

JOANNIS
LODOVICI VIVIS VALENTINI

AD SAPIENTIAM INTRODVCTIO.

I. **V**era Sapientia est de rebus incorrupte iudicare, ut talem unamquamque existimemus, qualis ipsa est, ne vilia sectemur tamquam speciosa, aut pretiosa tamquam vilia reiiciamus; ne vituperemus laudanda, neve laudemus vituperium merita.

II. Hinc enim error omnis in hominum mentibus ac vitium oritur, nihilque est in humana vita exitiabilius, quam depravatio illa iudiciorum, quum singulis rebus non suum pretium redditur.

III. Quocirca perniciose sunt persuasiones vulgi, quod stultissime de rebus iudicant.

IV. Videlicet Magnus erroris magister est populus.

V. Nec aliud magis laborandum est, quam ut sapientiae studiosum a populari sensu abducamus & vindicemus.

VI. Primum omnium suspecta illi sint, quaecumque multitudo magno consensu approbat, nisi ad illorum normam revocarit, qui singula virtute metiuntur.

VII. Adsuescat unusquisque iam tum a puerो veras habere de rebus opiniones, quae simul cum aetate adolescent.

VIII. Et ea cupiat, quae recta sint, fugiat quae prava: adsuetatio haec bene agere vertet ei prope in naturam, ut non possit, nisi coactus & reluctans, ad male agendum pertrahi.

IX. Deligenda est optima vitae ratio: hanc consuetudo iucundissimam reddet.

To-

1 vituperanda.

2 O. singulis, sed suppositionibus.

3 vulgi opiniones.

4 quae & iudicant.

5 Videlicet est.

6 A ut, 7 vertat.

- X. Tota reliqua vita ex hac puerili educatione pendet.
 XI. Ergo in curriculo sapientiae primus gradus est ille veteribus celebratissimus : *Se ipsum nosse.*

DIVISIO RERVM HUMANARVM.

XII. **O**mo ex corpore constat & animo. Corpus habemus ex terra, & his elementis, quae cernimus ac tangimus, corporibus bestiarum simile.

XIII. Animum divinitus datum, angelis & Deo similem, unde censetur homo, & qui solus merito esset homo appellandus, ut maximis viris placuit.

XIV. In corpore sunt forma, sanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio; & his adversa, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, & alia corporis seu commoda, seu incommoda.

XV. In animo eruditio & virtus; & contraria ruditas & vitium.

XVI. Extra hominem sunt divitiae, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia; & contraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, utilitas, dedecus, obscuritas, odium.

RERVM NATVRAE AC PRETIA.

XVII. **E**gina ac princeps rerum omnium praestantissima est VIRTVS, cui reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

XVIII. Virtutem voco pietatem in Deum & homines, cultum Dei, & amorem in homines, qui coniunctus est cum voluntate beneficiendi.

XIX. Reliqua si quis ad virtutem hanc referat, haud quaquam mala videbuntur.

Nec

1 O. humanaria.

2 contraria.

3 O. &

4 &c.

5 voluntatemque benefaciendi,

6 non.

XX. Nec qui primum haec nuncupavere bona, sic de illis censuerunt, ut nunc hominum vulgus, quod veros illos ac naturales significatus corruptit: unde & rerum aestimationes mutatae atque inversae sunt.

XXI. Sic enim sunt intelligenda haec, quatenus bona iudicantur. Divitiae non sunt gemmae aut metalla, non magnifica aedificia, vel supellex instructa; sed non iis carere, quae sunt ad tuendam vitam necessaria.

XXII. Gloria bene audire de praestanti virtute.

XXIII. Honor veneratio ob magni pretii virtutem.

XXIV. Gratia favor propter amabilem virtutem.

XXV. Dignitas est vel recta hominum opinio de bene merita virtute: vel decor quidam ex interiore virtute foras prominens.

XXVI. Potentia & regnum habere multos, quibus probe ac recte consulas.

XXVII. Nobilitas excellentia actuum esse cognitum, vel a bonis prognatum, similem parentum se praebere.

XXVIII. Generosus est ad virtutem a natura optime compositus.

XXIX. Sanitas talis habitudo corporis, ut valeat mens.

XXX. Species lineamenta corporis, quae animum formosum ostendant.

XXXI. Vires & robur, ut exercitiis virtutis sufficias, ne facile defatigeris.

XXXII. Voluptas delectatio pura, solida & diurna, qualis capitur ex iis solis, quae ad animum pertinent.

XXXIII. Si quis haec aliter, nempe ut populo intelliguntur, discutiat ac expendat, reperiet inepta, vana, noxia esse. Primum externa omnia, vel ad corpus re-

1 censuerunt.

2 O. hominum.

3 O. atque inversae.

4 censetur bona.

5 sunt non gemmae.

6 O. praestanti.

7 O. magni.

8 O. rorus hic s.

9 O. est vel.

1 magna virtute.

2 ut a populo videlicet.

3 O. haec in versione Hisp.

feruntur, vel ad animum: ut divitiae ad tuendam vitam, honor ad iudicium virtutis.

XXXIV. Corpus ipsum nihil aliud est, quam tegumentum⁴ & mancipium animi, cui & natura; & ratio, & decus ipsi iubent subiectum esse, ut brutum sentienti, mortale⁶ immortalis, terrenum divino.

XXXV. Porro in ipso animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum vitium facilius fugiamus, cognitam virtutem facilius perseguamur teneamusque: alioqui supervacanea est.

XXXVI. Quid aliud est vita, quam peregrinatio quae-dam, tot undique casibus obiecta & petita, cui nulla hora non⁷ impendet finis, quae potest levissimis de caussis accidere?

XXXVII. Quare stultissimum est cupiditate tam incertae vitae foedum aliquid aut pravum⁸ admittere. Quasi vero compertum habeas, te, postquam id feceris, diu esse victurum.

XXXVIII. Et quemadmodum in via, sic in vita, quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitus, hoc levius & iucundius iter facit.

XXXIX. Tum natura humani corporis ita constituta est, ut paucissimis egeat, ut si quis¹ proprius animad-vertat, haud dubie infaniae damnet eos, qui tam multa tam anxie congerunt, quum sit tam paucis opus.

XL. Acute, quisquis sic divitias expressit: sunt brevis vitae longum viaticum.

XLI. Divitiae namque & possessiones, & vestimenta in usum tantum, parari debent: quem non adiuvant immensae opes, sed opprimunt, ut navem ingentia onera.

XLII. Nec aurum, si non utare, a coeno differt, ni-

⁴ vel.

⁵ Deus.

⁶ immortalis ac divino.

⁷ imminet,

⁸ agere.

⁹ O. Quasi cert.

¹ O. proprius.

² O. rotis hic.

³ parantur.

siquid magis angit eius custodia; & efficit, ut dum⁴ illi uni studes, ea negligas, quae maxime sunt homini curanda.

XLIII. Est enim pecunia idolorum servitus, quem ei reliqua posthabentur, magna illa & natura prima, pietas ac sanctum.

XLIV. Ut transeam, quot insidiae divitiis tenduntur, quot & quam variis casibus pereunt, in quam multa vita detrudunt.

XLV. Culta vestimenta quid aliud sunt, quam⁵ instrumenta superbiae?

XLVI. Vtile indumentum excogitavit necessitas, preciosum luxus, elegans vanitas.

XLVII. Suborta est in vestitu contentio,⁷ quae multa docuit supervacanea & damnosa, dum homines etiam ex eo, quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

XLVIII. Ita divitiarum pars, maxima aedificia, supplex numerosa &⁸ lauta, gemmae, aurum, argentum, ornamentorum omne genus spectantium oculis & comparantur, & exponuntur, non possidentium usibus.

XLIX. Iam nobilitas quid aliud⁹ est, quam nascendi sors, & opinio a populi stultitia inducta? ut quae saepe numero latrociniis quaeritur.

L. Vera & solida nobilitas a virtute nascitur.

LI. ¹ Et dementia est, gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus,² ac turpidine tua dedecus ac labem adferas pulchritudini generis.

LII. Sed certe omnes ex eisdem constamus elementis, & idem omnium pater Deus.

LIII. ³ Natales cuiusque contemnere, hoc est Deum nascendi auctorem tacite reprehendere.

⁴ ubi uni: al. tibi unius.

⁵ nempe pietas & sanctum.

⁶ superbie instrum.

⁷ haec. ⁸ opulenta.

⁹ est aliud.

¹ Stultusunque est.

² & turpi decori sis pulchr.

³ Ignobilitatem contemnere.

LIV. Potentia quid est aliud , quam speciosa molestia? In qua si quis sciret, quae sollicitudines , quae anxietates insint , quantum malorum mare , & quam vastum ; nemmo est tam ambitious , qui non eam fugeret , ut gravem miseriariam : & quemadmodum rex ille dixit , nolle dia-dema iacens humi tollere.

LV. Quantum est odium , si regas malos ? quanto maius , si malus ipse?

LVI. Honor si ex virtute non oritur , pravus & perversus est , nec vere oblectare potest , quum reclamet conscientia ; sin ex virtute , hoc praefat virtus , ut is negligantur : aliter⁷ vero non erit virtus , si quid honoris facit gratia . sequi enim debet honor , non expeti.

LVII. Dignitates quis potest sic appellare , quum indignissimis quoque hominibus contingant ? nempe⁸ astu , fraude , ambitu ,¹ pretio , pessimis artibus quae sitae.

LVIII. ² Scilicet quum ab illa mandentur multicipiti bestia , quae nihil agit ratione ac iudicio.

LIX. Et gloria est ne aliud , quam , ut ille dixit , aurum vana inflatio.

LX. Ex qua , ut honore & dignitate , nihil omnino ad eum pertingit , de quo sunt : & incertae , vagae , iniquae , momentaneae sunt , similes parentis suae multitudinis , quae eodem die eundem hominem & commendat , atque , invehit summe , & vituperat ac deprimit extreme.

LXI. ⁴ Ergo usu videmus venire , ut maxime sequentem honor celerrime fugiat ; ad illum conferat se , qui contemnebat . Hoc quoque est ingenium vulgi.

LXII. Quid dicam nasci haec ex rebus partim deridendis , partim stultis , partim sceleratis , sicut ludo pilae , profusione patrimonii in commessiones , scurras , mimos;

be-

⁴ O. & quam vastum.

⁵ O. & quemadmodum rex est.

⁶ O. & perversus est , nec vere oblectare

potest , quam reclamet conscientia.

⁷ vera.

⁸ O. astu.

⁹ ambitione.

¹ praemissis.

² O. rorus hic §. 3 evenit.

⁴ O. hic §.

bello potissimum , hoc est , impunito latrociniu: quo magis vulgi dementiam agnoscas ?

LXIII. Secedat in se unusquisque , ac solus¹ hisce de rebus cogitet , inveniet quam parum ad se attingat ex fama , rumoribus , veneratione , honore populi , de quibus gloriatur.

LXIV. Quid in somno , quid in solitudine inter summum regem interest & infimum servum ?

LXV. Denique⁶ hic unusquisque sentiat , nobilitatem , honores , potentiam , dignitates ex prisca hominum persuasione , quam Christus⁷ animis illorum , qui vere ipsius sunt , adimit , nata & relicta esse : & in christianos homines invecta tamquam lolium , quod hostis dia-bolus adspergit bonae segeti Dei.

LXVI. In corpore ipso quid est forma ? nempe cuticula bene colorata. Si intraria cerni possent , quanta vel in corpore⁸ specioso cerneretur foeditas ?

LXVII⁹ Nec est aliud pulcherrimum corpus , quam sterquilinium candido & purpureo linteolo contectum.

LXVIII. Lineamenta & corporis decor quid iuvant ? si turpis sit animus , & sicut Graecus ille dixit : *In hospicio pulchro hospes deformis.*

LXIX. Robur quorsum pertinet in homine ? quum res maxima & homine dignae non viribus nervorum gerantur , sed ingenii.

LXX. Nec vires quantumcumque augeantur , maiores erunt quam tauri vel elephanti : ratione illos , ingenio , virtute superamus.

LXXI. Transeo quod forma , vires , agilitas , & ceterae corporis dotes , ut flosculi cleriter marcescunt , exiguis casibus diffugunt , vel una febricula validissimum

⁵ O. hisce de rebus. ⁶ sic.

⁷ animis suorum adimit.

⁸ speciosissimo.

⁹ O. hic §.

quandoque hominem concutit , & summum decorum
aufert.

LXXII. ² Et ut nihil accidat , certe necesse est illa
omnia cum aetate , quae nulla est diurna , flaccescere
ac decidere.

LXXIII. Nemo ergo potest externa iure sua dicere ,
quae tam facile ad alios transeunt ; nec corporea , quae
tam cito avolant.

LXXIV. Quid , quod haec , quae multi admirantur ,
magnorum vitorum sunt causae , velut insolentiac , adro-
gantiae , socordiae , ferocitatis , livoris , aemulationis , si-
multatum , rixarum , bellorum , caedis , stragis , cladis ?

LXXV. Delectatio corporis , ut corpus ipsum , vilis
ac pecudina est , qua saepius , & vehementius & diutius
pecora , quam homines ³ incitantur ac perfruuntur.

LXXVI. Ex hac quum morbi plerique ad corpus re-
dundant , & ad rem familiarem permagna damna , tum
ad animum certa poenitentia & hebetudo ingenii , quod
delitiis corporis extenuatur ac frangitur. ⁴ Postremo im-
patientia suiipius , & odium virtutum omnium.

LXXVII. Nec aperte frui licet : nam ut dedecent ge-
nerositatem nostrae mentis , ita nemo ⁵ tam proditus est ,
quin eas erubescat apud arbitros capere : pariunt enim
ignominiam : idcirco tenebras & latebras querunt.

LXXVIII. Quid , quod sunt ⁶ fugacissimae & momen-
taneae , nec retineri ulla vi possunt , nec umquam veniunt
purae , & cuiuscumque amaritudinis expertes ?

LXXIX. Ergo exclusis vulgi sensibus , maximum ma-
lum putato , non paupertatem aut ignobilitatem , aut
cacerem , aut nuditatem , ignominiam , deformitatem cor-
poris , morbos , imbecillitatem ; sed vitia & his proxima ,
inscitiam , stuporem , dementiam.

Ma-

¹ tollit.² O. Et.³ O. incitantur ac.⁴ deniq. odium v. o.⁵ ita.⁶ fugacissimae.

LXXX. Magnum bonum credito horum contraria ,
virtutes , & quæ huic sunt finitima , peritiam , acumen in-
genii , sanitatem mentis.

LXXXI. Reliqua vel externa , vel corporis , si ha-
bes , proderunt tibi ad virtutem relata ; oberunt ad vitia:
si non habes , cave ne quaeras vel cum minimo dispen-
dio virtutis. ⁷ Perinde hoc esset , tamquam si multo auro
paullulum emeres luti , aut potius gravem morbum salute.

LXXXII. Nullus est quæstus prolixior , quam animo
si adsit pietas ; corpori vero , si sciat præsentibus qual-
buscumque acquiescere.

LXXXIII. Fama , tametsi nihil agendum est , ut vi-
dearis , conservanda tamen est integra , quod interdum ea
cura a multis nos turpibus cohibet : sed præcipue in exem-
plum ceterorum.

LXXXIV. Vnde præceptum illud sapientum & san-
ctorum virorum : *Nec malum faciendum , nec eius simile.*

LXXXV. Quod si hoc adsequi non possumus , con-
scientia debemus esse contenti ; & quum tam depravati
erunt hominum sensus , ut quæ sunt optima , putent esse
⁸ sceleratissima , tunc laborandum erit , ut interna & ex-
terna soli Deo approbemus : idque abunde nobis sufficiat.

LXXXVI. Etiam mala , quae dicuntur corporis vel
fortunae , licebit in bonum vertere , si patienter feras ,
& tanto sis ad virtutem promptior , quo minus tibi in illis
succedit , ac proinde ⁹ expeditior.

LXXXVII. Saepenumero ex damnis corporis , vel ex-
teriorum , magnæ sunt accessiones ¹ factae virtutibus.

DE

⁷ Haec omnia desunt ad n. seq. qui
in reliquis exemplaribus incipit : *Proli-
xus quæbus est pietas cum sufficiencia ,
Fama cet.*

⁸ sceleratissima.⁹ A. es.¹ virtutibus natae.

DE CORPORE.

LXXXVIII. **T**ET quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum, maximasque opes in vasis fictilibus, non omnino repudiandum nobis est & abiiciendum corpus.

LXXXIX. Sic curandum tamen, ut se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium; nec sibi pasci aut vivere, sed alteri.

XC. Quo curatius est corpus, hoc animus neglectior. Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur, & ut equus delicate pastus sessorem excutit.

XCI. Gravis sarcina corporis animum elidit: acumen ingenii sagina corporis aut indulgentia retunditur. Cibi, somni, exercitationes, tota corporis curatio ad sanitatem referenda est, non ad voluptatem & ac delicias, ut animo promte inserviat, nec ferocia cultus insolecat, neu viarium inopia decidat.

XCII. Nihil est quod aequae & vigorem mentis debilitet, & robur ac nervos corporis infringat, ut voluptas. Quippe vires omnes & corporis & mentis opere ac labore vegetantur, otio & mollitie voluptatis languescunt.

XCIII. Mundities corporis, & victus citra delicias aut morositatem, ad valetudinem & ingenium confert.

XCIV. Ablues subinde manus & faciem frigida, detergesque mundo linteolo.

XCV. Repurgabis crebro eas partes, quae sordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.

XCVI. Hae sunt caput, aures, oculi, nares, & manus, axillæ, pudenda.

XCVII. Foveantur pedes mundi & calidi.

XCVIII. Arceatur frigus, quum ab aliis partibus, tum vel maxime a cervice.

Ne

² contemnendum;³ O. ac delitas,⁴ O. manus,⁵ A. &c. Pedes m. &c. foveantur.

XCIX. Ne statim edas a quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter.

C. Lentaculum enim sedando stomacho, aut refocilando datur corpori, non satietati.

CI. Ideo tres aut quatuor panis ⁷ buccae sufficiunt sine potionе, aut certe exigua, atque ea tenui. salutare hoc non minus ingenio, quam corpori.

CII. In prandio & coena adsuesce non vesci, nisi ⁸ uno opsoniū genere, eodem simplicissimo, & quantum per facultates licebit, saluberrimo, quamvis multa mensae inferantur; & si tua sit mensa, nolli admittere.

CIII. Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum.

CIV. Munda & pura parsimonia, & temperatis & castis animis congruens, conservatrix rei familiaris, & quae sola efficit, ne multis indigere nobis videamur: nec suscipiamus pessima facinora quaestus gratia, quo gulæ morem geramus irritatae vel luxu vel lautiis, vel delicas nimium cibis & exquisitis.

CV. Tum præstat, ut quae adsunt, nea modo nobis sufficient, sed ex eis liceat egentibus impartiri.

CVI. Ostendit hoc dominus exemplo sui, qui post exsaturatam multitudinem, reliquias perire panum & piscium non est passus.

CVII. Natura necessaria docuit, quae sunt pauca & parabilia: stultitia superflua excogitavit, quae sunt infinita & difficultia.

CVIII. Naturae si des necessaria, delectatur, & robatur tamquam propriis: sin superflua, debilitatur & affligitur tamquam alienis.

CIX. Stultitiam necessaria non explent: superflua obruunt, non satiant.

R

Po-

⁷ buccae.⁸ A. ex. amorem sapientiae &c.⁹ A. &c.¹⁰ i. quam obruant.